

præcōceptas opiniones nobis illi ob-
 jicere pergerent, neque consuetudi-
 nes inveteratas mordicus tuerentur:
 Quin potius in Institutione Christi
 acquiescentes, nobiscum consentire
 non dubitarēt, ac proinde pax & tran-
 quillitas, toties Fidelium universorū
 votis ac suspiriis ardentissimis expe-
 tita, Ecclesiæ afflictissimæ rediret.

Agite ergò, quid de Sacrà Domi-
 ni Cœnâ Paulus Apostolus, ex pro-
 fesso, & quidem ab ipso Dei Filio e-
 doctus, cum in tertium cœlum raptus
 esset, commendetur, dispiciamus.

I.

EX CAPITE X. EPI-
 STOLÆ I. AD CORIN-
 THIOS.

- Ex. 13. 21.* 1. *Nolim vos ignorare Fratres. Patres no-*
Num. 9. 18. *stros omnes sub illâ nube fuisse. Et omnes per*
Ex. 14. 21. *mare transivisse.*
2. *Et omnes in Mosem baptizatos esse nube*
& mari.
3. *Et omnes eandem escam spirituales ed-*
disse.

4. E.